



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

9 Ezechias Rex laudatur, quòd serpentem aeneum destruxerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 9 Hinc † immense commendatur in sacris Scripturis Israelitarum Rex Ezechias, quod serpentem æneum, quem Moyses multis annis ante in populi salutem erexerat *num. 21*, ex eo quod filij Israel contra Moylis mentem illi incensum adolerent, destruxerit, *4. Reg. cap. 18.*
- 10 Nam quæ primò, † sine culpa esse poterant, si post in errorem, & superstitionem vertantur, illicò sunt Apostolica auctoritate destruenda, & abolenda, *eod. cap. quia sancta, & d. 9, verum quia 63, dist.*
- 11 Hinc, ad evitanda scandala † plura etiam contra juris regulas conceduntur, & fiunt, de quibus nonnulla cumulavit Felynus *in cap. 2, num. 2, de prescript.*
- 12 Videmus etiam † pernoctationes, quæ olim à pijs Christianis in vigilijs dierum festorum in Ecclesia fieri solebant, de quibus D. Ambr. *relatus in cap. nosse 76, dist. 1,* (ex eo enim vigiliæ dicebantur, quod fideles in templis in multam noctem vigilias producerent) ob earum abusum esse modò sublatas, & in jejunium commutatas.
- 13 Pro bono etiam pacis, & † ad scandalum removendum, sua Episcopus Ecclesia, facta tamen illi æquali compensatione, privari potest, Innoc. *in cap. nisi, cum pridem nu. 4, vers. nos dicimus de re-nunciat. Abb. in cap. 1, num. 5, de elect. Felyn. in d. cap. 2, nū. 2, vers. decimo* propter scandalum, & ad rem faciunt plura allegata per Rom. *cons. 332, & quoad primum consultationis num. 12, vers. quoad quartum, & usque in fin.*
- 14 Hac eadem ratione, † cum in confraternitatibus toto Christiano orbe erectione privilegiorum, facultatum, & indulgentiarum illis ab Apostolica Sede concessarum, nonnulli exorti essent abusus, pravæque consuetudines indies ingruerent: tum ob plurimum, quàm necesse sit ad animarum salutem, dictorum sodalitiarum, & confraternitatum erectionem graves lites, discordiæ, maximæque interdù orientur cōtroversiæ, vel inter eas, & animarum parochos, vel inter ipsos confratres, aut inter ipsas confraternitates, quæ adeò acerrimè invicem aliquando consistantur, ut Ordinarijs locorum non leves curas iniiciant, eorumque tribunalia indefesse exercent quidvis aliud potiùs, quam pietatem, ad quam adscriptæ fuerant, sectantes; boni † pastoris erat scandala, quæ ob hujusmodi discordijs, & litibus provenire solent, animadvertere, & illis opportuno occurrere remedio *juxt. cap. hi quoscunque 1, q. 1. & conc. Trid. in decret. de observ. & evitan. in celebr. miss. sess. 22.*
- 16 Propterea † motus fuit Pontifex ad minuendum tot sodalitarum aggregationes, & ad statuendum, ut una tantum confraternitas legitimè erecta cuilibet Archiconfraternitati, seu congregationi aggregandi facultatem habenti in singulis civitatibus, oppidis, vel locis, aggregari possit, & optima ratione, quia, † præter præfatas causas, pluralitas ejusdem nominis inducit obscuritatem *l. duo sunt Titij ff. de testam. tut. l. si fuerit in princ. ff. de rebus dub. & las. in l. quoties num. 7. ff. de verb. oblig.* Nec una societas pluribus Archiconfraternitatibus, sed uni † tantum potest aggregari, quia non licet amplius, quàm unum collegium licitum habere, *l. 1, §. non licet ff. de colleg. illic. & l. hac parte ubi etiam gloss. & Bart. C.*